



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piaë, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Dominica ix. post pentecosten

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

ritaliter refici uolumus, quatuor principales uirtutes, prudentiam scilicet, temperantiam, fortitudinem atq; iustitiam, quibus nihil est utilius in uita hominis, habeamus. Quia enim quadratus lapis non fluctuat, sed in quā cūq; patrē uersus fuerit, æquiter iacet, recte quaternario numero constantia sanctorum designatur, qui non circumferuntur omnino uento doctrinæ, sed ut firmi lapidis, siue in prosperis, siue in aduersis, in bonis actibus & in fide constantissime perseuerant, considerantes illud quod

Mat. 10. & 24. dominus ait: Qui perseuerauit usq; in finem, hic saluus erit. Siue, quia & fidē bene credendi, & constantiam recte uiuendi per quatuor euangeliorum doctrinam discimus, recte quatuor millia hominum de septē panibus refecta fuisse memorantur.

Non enim aliter credere aut uiuere debemus, nisi quomodo quatuor euangelia docent. Vnde Iohānes in Apocalypsi quatuor animalia ante thronū dei plena oculis ante & retro se uidisse testatur, clauantia: Sanctus, sanctus, sanctus dominus deus sabaoth, qui est, & qui erat, & qui uenturus est.

Apo. 4.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN, ad Romanos VIII.

Fratres, Debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus &c.

A pertissime nos beatus Apostolus, fratres charissimi, in præsentī lectione quam audistis, carnis desiderijs non debere seruire docet, dicens [Ergo fratres, debitorum sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus.] Neq; enim, propterea nos fecit deus ad imaginem suam, ut carnis seruituti essemus abnoxij, sed potius ut creatori suo

anima deseruiens, ipsa seruitio aut ministerio carnis uteretur. Sed fortasse dicat aliquis, Quomodo carni non sumus debitores, cum & uictum ei & indumentum providere nature necessitate cogamur? Sed ut ostenderet Apostolus, non carni aliquid conferre, proprię necessitatis, culpabile esse: sed, ipsam uitam carnis concupiscentiis mancipare, ideo addidit

Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini. Secundum carnem autem uiuere est, carnalibus desideriis indulgere. In hoc ergo negat nos Apostolus debitores esse, sicut alibi dicit: Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis eius. Non utique denegat, & ibi carnis curam habendam necessariis uitę usibus, sed eius concupiscentiis consentire. Ro. 3r.

Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.

Qui ergo secundum spiritalia uiuit desideria, mortificat actus carnis suę, ipse uiuit propter inhabitantem in se spiritum uitę. Isto enim modo quis actus carnis mortificare potest. Nam fructus spiritus est charitas. Odium ergo per charitatem mortificatur & extinguitur. Tristitia huius seculi quę mortem operatur, carnis est actus. Hęc ergo extinguitur, si perfectum in nobis est gaudium in deo. Pax, fructus est spiritus. Dissensio & discordia, carnis sunt, sed certum est, discordiam mortificari per pacem, Castitas & continentia, fructus spiritus sunt, adulterium & fornicatio, carnis actus sunt. Verum enim est mortificari posse libidinem per continentiam, & emendari mala acta adulterię & fornicationis. Sic & patientia impatientiam extinguit, & bonitas malitiam perimit, & mansuetudo ferociam &

Gal. 5.
2. Co. 7.

castitas impudiciã necat. Taliq; ordine qui per spiritũ actus carnis mortificauerit, uiuet. Sequitur:

Quicumq; enim spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei. Nam qui in peccatis sunt, spiritu diaboli aguntur. Qui autem spiritu sancto gubernari merentur, & qui secundum doctrinam spiritui sancti uiuunt, ipsi spiritu dei aguntur.

Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore:

id est, non eam legem per spiritum sanctum in baptismo accepistis, ut accipiatis, in qua timore tantum domino seruire debeatis: sed eã legẽ, qua per dilectionem potius deo seruiatis. Sed & spiritus seruitutis in timore, initium sapientiã & scientiã dicitur, cum primo cõperit deum timere, & diabolo repugnare. In quo spiritu timoris dñi quisq; domino seruire debet initio bonã cõuersationis, q̃si puer p̃dagogus, ut discat timere deum, & mandata eius custodire, quousq; ad perfectionẽ aetatis bonorum operum perueniat, & mereatur adoptionis spiritũ percipere, & esse iam filius dei per facta opera, sicut in sequentibus dicit Apostolus: **sed accepistis spiritũ adoptionis filiorum dei.** ut iã non timore p̃nã deo seruiamus, sed pura perfecta q̃ dilectione, quã prædictum ab homine expellit timorem. Cum ergo peccatis mortui erimus per p̃nitentiã & confessionem, deserim⁹ esse q̃d fuimus, serui peccati, illi seruiẽdo p̃ aduersa opera pietatis & iustitiã, ac per spiritus sancti gratiam uocari & esse iam filij dei mereamur.

In quo clamamus, abba pater.

Quia iam per sanctificationẽ sancti spiritus, quã

bonis & sanctis moribus mereamur in nobis manere, fiduciam in nobis habemus patrem nominare, cum nos filios eius cognouimus adimpletionem uoluntatis eius: ideo uoluntate simplici operemur omnia bona quæ possumus, ut filios dei nos esse comprobemus in dilectione, & non iam in timore seruientes, quia qui uocat patrem, filium esse se profiteretur. Debet ergo patris moribus placabilis filius inueniri, ne pro nomine quoque in uanum uirpato, maiori poenæ subijciatur.

Ipse enim spiritus

seruitutis, per quem in timore tantum domino seruiimus, [testimonium reddet spiritui] adoptionis, in quo perfecte per charitatem deo seruiuerimus, [quod sumus filij dei.] quia non nisi filij dei, arratum sui spiritus percipere merentur.

Si enim filij, & hæredes & hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi.] Mercedem namque seruus expectat, hæreditatem filius sperat. Ideoque satagamus, ut non iam serui per timorem domino sumus seruientes, sed per amorem omnia bona facientes, ut mereamur hæreditatem incorruptionis & immortalitatis & æternæ simul gloriam uitæ possidere, & illud etiam adipisci, quod ipse nobis saluator præoptauit a patre, dicens: Pater, uolo ut ubi ego sum, illic sint & ministri mei. hoc enim modo cohæredes suos CHRISTVS! non solum in partem hæreditatis, sed etiam in consortium beatitudinis perducit.

Ioh. 17.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN. Matth. VII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis su-

is: Attendite a falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium. Et reliqua.



PRæuidens dominus doctrinam hæreticorum cōtra electos in ecclesia futura, necnon & malitiam falforum catholicorum sequituram, in iudicium cognitionis eorū prius ostendere uoluit, ut tanto facilius caueri possint, quāto manifestius cognosci. **A**it em̄. [Attendite a falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimen-

tis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.] Quod specialiter de hæreticis intelligendū est, qui falsi prophetae sunt, dum de substantia diuinitatis & humanitatis multa mentiuntur, scripturas sacras, quæ diuinitus inspiratæ sunt, ad suū sensum pertrahere cupientes. Ut enim simpliciū fratrum corda facilius decipere possint, quasi ouium uestimentis se induunt, dum catholicorum patrū sentētiæ suæ doctrinæ interserūt. Si iunt em̄ quæ si semp mala dicerent, citius cogniti cauerentur. Et ideo bona malis miscent, ut dum libenter auditur id quod uerū est, nō facile discernatur hoc quod falsum est: mortem ueneficorum seruantes, qui dum cuilibet uenenū porrigere uolunt, ora calicis melle liniunt, ut dum gustatur id quod dulce ē, absq; retractione pueniatur ad id, quod mortiferū est: ad similitudinem scorpionum, aculeos in caudis

gestantiū, quoniam hæretici in primis uerbis bona ostēdunt, in nouissimis autem peruersa dogmatizāt, unde & pungūt. Tales ergo lupis rapacibus comparantur, quia cum exterius lingua blandiantur, interius animo sæuiunt: quia sicut lupo gregem dispergit, dilaniat atq; dilacerat, ita & hæretici uenenosum animum habentes, mentes simplicium dilaniare non cessant. Et quos in occulto decipere non possunt, publice insequuntur. Et ideo se bonos esse simulāt, ut simplicium animos ad suam hæresim rapere possint, uel certe eorum substantias quasi boni magistri accipere. Quod Paulus apostolus in epistola sua scribit, dicēs: Hi sunt **2. Tim. 3.** qui penetrant domos uiduarum, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, & per dulces **Rom. 16** sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Tales lupos futuros idem Apostolus præuidebat, quando dicebat: Scio quia post discessum **Actu. 20** meum intrabunt in uos lupi graues, lupi rapaces, nō parcentes regi. Et ex uobis cōsurgent uiri ini qui, loquentes mendacium, & abducent discipulos post se. Hos etiā cauere ab apostolis uolebat dominus, quibus dicebat: Ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Monet ergo dominus tales lupos cauere, quia sicut doctissimi uiri & catholici hæreticis resistere debent, sic ab eorum consortio simplices declinare, ne dum eorum doctrina auditur, mentes audientium commaculentur, Iohanne apostolo admonente, qui ait: **Mat. 10.** Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam nō affert, nolite recipere eum in domo, nec Aue ei dixeritis. Si quis dixerit, ei, Aue, communicat operibus illi.

- indignis. Hinc & Apostolus ad Timotheum scribit, dicens. Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuita, sciens quia peruersus est hm̄i. Huic conuenire p̄t illud Maronis:
- Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,**
- Eclog. 3** Frigidus, o pueri fugite hinc, later anguis in herba. Aliter: Lupi rapaces, falsi catholici intelliguntur, qui confitentur se nosse deum, factis autem illum negant. Qui dum habitum Christianitatis assuunt, quasi ouinis pellibus induti apparent. Bene autem lupis rapacibus comparatur, quia dum carnaliter uiuunt, aliquando a hos suo malo exemplo ad malum pertrahunt, aliquando aliorum substantias more luporum diripiunt, de qualibus per prophetam dicitur: Facti sunt principes tui ut lupi uespertini, ad uesperum non relinquentes in mane. Tales ergo dominus iubet cauere, quia sicut bonorum consortium multum adiuuat, sic malorum societas frequenter multum nocet, teste Propheta qui ait: Cum sancto sanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris. Et Salomone dicente: Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Amicus stultorum, efficietur similis. Hinc idem Salomon nos admonet, dicens: Noli esse amicus homini iracundo, nec amibules cum uiro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Hinc Paulus discipulis scribit, dicens: Si quis frater nominatur, & est fornicator aut adulter aut auarus, quod est idolorum seruitus, cum huiusmodi nec cibum sumere. Sed nunquam semper latet hæretici, aut falsi catholici sub ouina pelle aut semper possunt abscondi? Non. Nam quæliter cognosci ualeant, dominus aperuit cum adiungit, dicens
- Thre. 1.**
- Jere. 22.**
- Psal. 17.**
- Pro. 15.**
- Pro. 22.**
- 1. Cor. 5.**

A fructibus eorum cognoscetis eos.

Fructus em̄ a fruendo nomen accepit, unde per fructum opera significatur. Si ergo in interrogas qui sunt boni fructus, a quibus hominem cognoscere possis, apostolus Paulus manifestat, dicens: Fructus enim spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Noli ergo in heretico querere folia verborum pulchra, sed fidei puritatem. Noli attendere in Christiano solummodo famam bonae opinionis, sed fructum in genere recte operationis: noli attendere linguam, sed mentem: quia sicut non laudatur arbor ex pulchritudine foliorum vel florum, sed ex abundantia frugum, ita quoque heretici vel falsi catholici, non sunt ex simulatione laudandi, sed ex fructu boni operis. non est enim (ut dominus alibi ait) arbor bona, faciens fructus malos, necque arbor mala faciens fructus bonos. Vnaqueque arbor ex fructu suo cognoscitur. Vnde & subditur

Gal. 5.

Luc. 6.

Nunquid colligent de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

Spina & tribulus arbores sunt plene aculeis, ita ut uix absque laesione tractari possint. Quibus contrariae sunt ficus & uita, quae & fragrantiam suavisissimi odoris, & fructum dulcissimi saporis reddunt. Per spinas ergo & tribulos, uicia & peccata signantur, de quibus a domino primo homini dictum est: Terra tua spinas & tribulos germinabit tibi. Per uiam uero & ficum, dulcis atque suavis fructus charitatis accipitur, quem palato mentis senserat ille, qui dicebat: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauam ori meo. Sicut ergo spina

Gene 3.

Psal. 118.

& tribulus intratabiles sunt, ita heretici & falsi catholici, amari & aculeari proximis inueniuntur & ideo illorum falsa doctrina, & istorum praua exempla fugienda sunt, quia sicut ait Salomon, **Ecci. 13.** Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Vel (ut quidam tradunt) per uiam & ficum, dulcedo memoriae regni caelestis accipitur. Igitur de spinis non colligitur uua, neque de tribulis ficus: quia si requiritur in heretico fructus charitatis, spinæ dissensionis inueniuntur: & si in falso catholico amor caelestis, amor terrenus reperitur: & si fructus castitatis, fructus libidinis intuetur. Sed quanuis spina uua non gignat, solet tamen uitam cum botro sustinere: quia heretici & falsi catholici, cum in multis mali sint, solent tamen quaedam bona docere, & quaedam religiosa ostendere. Quid ergo de talibus faciendum erit? Nunquid propter spinam relinquendus est botrus, id est, propter mala bona? Absit. Sed ut pater Augustinus ait, Sic carpendus est botrus, ut tamen caueatur spina. Sicut enim hereticorum doctrina a simplicibus uiris penitus fugienda est, sic a catholicis & orthodoxis patribus, qui sciunt discernere inter ueram & falsam doctrinam, mala respicienda sunt, ut bona in autoritate ecclesiastica assumantur. Quod dominus in lege figurate ostendit, quā **Exo. 12.** de egred. eibus filiis Israel ex Aegypto, praecipit eis, ut mutarent a uicinis suis uasa aurea & argentea non pauca, ut expoliarent Aegyptum. Quid pro **Psal. 18.** argentum, nisi sacrae scripturae preclarus sensus accipitur? Eloquia enim domini eloquia casta, argentum igne examinatum. Per aurum uero, nitor eloquii exprimitur, Salomonis dicente: **Pro. 24.** Thesaurus desit

derabilis requiescit in ore Sapiētis. Quasi ergo uā
 sa aurea & argentea a uicinis mutuo accipimus,
 quando ab hæreticis & paganis necessarias senten-
 tias uel nitorem eloquentiæ ad nostrā utilitatem
 assumimus. Vnde in eadem lege alibi figuratiter **Deut. 21.**
 præcipitur: Si egressus fueris ad bellum contra ho-
 stes tuos, & tradiderit eos dominus deus tuus in
 manus tuas, captiuosq; eos duxeris, & uideris in nu-
 mero mulierū puellam pulchram quæ placet ocu-
 lis tuis, uouerisq; eam habere uxore, introduces
 eam in domum tuam, ita tamen, ut prius cæsari-
 em capitis eius radas, & summitates unguium illi-
 us præcidas, lugeatq; patrem suum & matrem in
 domo uno mense, & post hæc introduces eam ad
 te, & erit tibi uxor. Spiritualiter autem ad bellum
 procedimus, quando cum hostibus ecclesia (id est,
 hæreticis) de fide Christiana & religione confi-
 ctum habemus. Cumq; diuina autoritate superas-
 ti, tradiderit eos dñs deus noster in manus nostras,
 si inuenerimus in numero disputationū sentētiās
 ad nostram fidem roborandam necessarias, assu-
 mamus eas nobis in uxores: quia ut ait Salomon, **Pro. 10.**
 Vxor uiri, sapientia est: ita tamen, ut prius cæsari-
 em capitis eius radamus, & summitates unguium
 præcidamus, id est, quicquid superfluum, quicquid
 hæreticum, quicquid nostræ fidei prauum & con-
 trarium est, discernamus & abijciamus. Si quis autē
 ex his ad nostram fidem catholicam conuertri uo-
 luerit, non est repellendus, sed recipiendus, ita ta-
 men, ut lugeat prius patrem suum & matrem uno
 mense, id est, de pristina conuersatione & hæretica
 prauitate, qua inquinatus uel nutritus est, pœni-
 tentiam agat, & anathematizet, & diluat.

Sic omnis arbor bona fructus bonos facit,
mala autem arbor fructus malos facit.

Mat. 12: Quod arbores in scripturis homines significat,
dominus manifestat cum alibi dicit: Aut facite ar-
borem bonam, & fructum eius bonum: aut facite
arborem malam, & fructum eius malum. Et cæ-
cus, qui a domino illuminatus fuerat, aiebat: Vi-

Mar. 13. deo homines quasi arbores. Daniel quoque in visi-
Dani. 4. one Nabuchodonosor regis, magnam arborē ipm
regem interpretatur. Et per Psalmistam de iusto

Psal. 92. dicitur: Iustus ut palma florebit, & sicut cedrus Li-
bani multiplicabitur. Quod ergo ait: [Sic omnis
arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor
fructus malos facit.] tale est ac si diceret: Sicut nec
spina uuam, nec tribulus generat ficum, sic ex radi-
ce inuisa malus fructus procedit, & ex bona intē-
tione bona operatio nascitur. Unde & subditur:

Non potest arbor bona fructus malos fa-
cere, neque arbor mala fructus bonos facere

In quo loco quæstio animum pulsat. quære dicat,
[Nō potest arbor bona fructus malos facere, neque
arbor mala fructus bonos facere,] cum legamus
Paulum apostolum arborem utique bonam fructum
malum fecisse, quando ecclesiam dei persecutus est:
& Iudam arborem malam, fructum bonum fecis-
se, quando cum cæteris apostolis secutus est domi-
num. Ad quod respondendum, quia sicut ex radi-
ce arboris fructus procedit, & ex ipso fructus, cuius
generis uel saporis sit cognoscitur, ita ex intenti-
one cordis opus profertur. Et sicut dñs dicit: Qua
lis fuerit intentio tua, tale erit & opus tuum. Ideoque
bonus homo tandiu malos fructus facere nō po-

test, quandiu in radice bonæ intentionis perseue-
 rat: nec malus homo tandiu fructus bonos facere
 potest, quandiu in mala intentione p̄durat. Iuxta
 quem sensum legimus & Petrum apostolum arbo **Mar. 26.**
 rem utiq; bonam, malos fructus fecisse, quando
 dominum negauit. Et Iethro cum prius mala ar **Exo. 18.**
 bor esset, bonum fructū fecit, quando Moysi utile
 consilium dedit. Similiter & Dauid, bona utiq; ar- **2. Re. 11.**
 bor, fructum malū fecit, quando per concupiscen-
 tiam carnalem adulterium & homicidium perpe-
 trauit. Nabuchodonosor autē, cum esset mala ar- **Dan. 6.**
 bor, bonum fructum fecit, quando deum Danielis
 in toto orbe adorari iussit. Potest tamen & malus
 homo effici bonus, si deseruerit malum, & qui ui-
 debatur bonus, effici malo, si recesserit a bono. Sed
 quia unus idemq; homo, in uno eodemq; tempo-
 re, bonus simul & malus esse non potest, non po-
 test arbor bona, fructus malos facere, neque ar-
 bor mala fructus bonos facere. Valde autem ter-
 ribile est, quod subinfertur:

Omnis arbor quæ non facit fructum bo-
 num, excidetur, & in ignem mittetur. Non dicit,
 quæ facit fructum malum, sed quæ non facit fru-
 ctum bonum. Vbi e diuerso colligere possumus,
 quæ pœna præparata sit male operantibus, quan-
 do pœna prædicitur etiam a bono opere torpentū
 bus. Si enim in ignem mittitur, qui nudū non ue-
 stiuit, in quem ignem mittendus est, qui uestitum **1. 2.**
 expoliavit. Et si ad pœnam uadit ille, qui propria
 non dedit, ad quam pœnam iturus est qui aliena
 rapit. Nullus ergo a bono opere torpens, falsa se-
 curitate se decipiat: quia omnis arbor quæ nō fa-
 cit fructū bonū, excidetur, & in ignem mittetur.

- Ioh. 15.** Iuxta illud quod dominus alibi ait: Omnem palmitem in menon ferentem fructum, oportet abscidi & in ignem mitti. Non enim sufficit declinare a malo, nisi quisq; studeat facere bonum. Vnde dominus uineæ quærens fructum in ficulnea, & non inueniens, ait colono: Ecce anni tres sunt, ex quo uenio quærens fructū in ficulnea hac, & non inuenio. Excide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? De hac arbore per Iohannem Baptistam dicitur: Iam securis ad radicē arboris posita est. Exciditur enim arbor, quando homo moritur. Excisa autem in ignem mittitur, quādo quisq; peruersus per mortem gehennæ concremationem inuenit, qui dem uiueret, fructum boni operis facere recusauit. Ingeminat namq; dominus bonarū maliarumq; arborum cognitionem, cū adhuc subiungit, dicens: [Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.] Quasi enim fructus, in quibus male arbores a bonis discernantur, Paulus, apostolus ostendit dicens: Manifesta autē sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitia, contentiōes, æmulatiōes, iræ, rixæ, dissensiones, seclæ, inuidia, homicidia ebrietates, comestationes & his similia: talia qui agunt, regnū dei non consequentur. De qualibus per Ieremiā prophetam dicitur: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non uidebit cum uenerit bonum, sed habitabit in siccitate, in solitudine, in terra falsuginis & inhabitabili. At uero bona arbor quales fructus proferat, idē propheta declarat, dicens: Benedictus uir qui

confidit in domino, & erit dominus fiducia eius, & erit tanquam lignum quod trāsp̄plantatum est secus decursus aquarum, quod ad humorem mittit radices suas, & non timebit cum uenerit æstus, & erit folium eius uiride, & in tempore siccitatis non erit sollicitū, nec aliquando desinet facere fructum. Tales fructus bona arbor proferebat, quæ dicebat: Ego autē sicut oliua fructificaui in domino dei, speraui in misericordia dei in æternum & in seculum seculi. Tales dominus suos discipulos, bonas utiq; arboros, prrferre uolebat, quibus dicebat: Ego uos elegi de mundo, & posui nos ut ca-
tis, & fructum afferatis, & fructus uester maneat. Inaniter autē quidam folia habēt uerborū, qui recusant proferre fructus operum. Vnde & subditur:

Non omnis qui dicit mihi, dñe domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit uoluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. [Dicere enī domine domine, fructus boni operis esse uidetur: nō autem facere uoluntatem eius, non ad bonam arborē pertinet. Non enim sufficit sola confessio, si defuerit bona operatio, domino allbi dicente. Quid autem uocatis me, dñe domine, & nō facitis que dico? Hinc Iacobus apostolus ait: Fides sine operibus mortua est. Vnde eos, qui de sola fide gloriabantur, exemplo demonum terruit, dicens: Tu credis quonia in unus deus est? bene credis. & daemones credunt, & conremiscunt. Quos autē dñs per prophetam reprobatur, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. tales tempore iudicij quia sine fructu boni operis clamabunt, Domine dñe, aperi nobis, audire merebūtur: Amen dico

Psal. 51.

Ioh. 15.

Luc. 6.

Iaco. 2.

Ibid.

Isa. 29.

Mat. 25.

uobis, nescio uos. Qui ergo uult intrare in regnū
 celoz, nō solū scire desideret qđ uelit deo, sed etiā
 implere qđ iubet, qđ sicut dñs ait in euāgelio: Bea
 ti gaudiunt uerbum dei, & custodiūt illud. Et ite-
 rum discipulis: Scitis hæc, beati eritis, si feceritis ea.

Luc. 11.

Ioh. 13.

DOMINICA X. POST PEN
 tecosten, I. ad Corinthios X.

FRatres, Nō simus concupiscētes malorū
 ciborum, subauditur & uitiorum, [sicut & il
 li,] id est, Israelitæ. [concupierunt] carnes &
 pepones, & ea quæ in Aegypto habuerāt in usum
 comedendi. Ista ex superioribus uerbis Apostoli
 pendunt ibi dicit, omnia quæ iudæis contigerunt,
 in nostri figuram præcessisse, sicut & sequentia ma
 nifestant: & in nostram salutem scripta esse, ut nō
 simus concupiscētes malorū ciborum uitiorumq;

Quæstio est, cum Iudæi multitudinem animalū
 & pecorum secum haberent, quare desidera
 bant carnes, & quare non comedebant carnes ani
 malium? Quæ hoc modo soluitur, quia nō deside
 rabant illi carnes pecorum, sed carnes auium con
 cupiebant, quibus soliti fuerant uesci in Aegypto.
 Nullus enim fluuius in littoribus suis & palustri
 bus locis tam multa genera auū, sicuti Nilus, ha
 bet: & talia, qualia non habentur in circuitu alio
 rum fluminum. Fugiamus ergo concupiscentiam
 malam, & pugnemus contra eam in quantum ua
 lemus: quia ut beatus Augustinus dicit, & in nobis
 quoque experimento probare possumus, omnia
 mala per illam fiunt atque patrantur. Concupi
 scentiam autem malam ideo dixi, quia & concu
 piscentia bona est, de qua dicit Salomon. Fili, con

Pro. 4
 16.27.